DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, VIII. MART.

M. DIONYSIO GVERIN Doctore Medico, Moderatore.

Eſt ne homini viuendum vt edat?

SVPREMA eſt vniuſcuiuſque perfectio munere fungi ad quod maxime comparatum eſt; pecudis quidem totis capere ſenſibus voluptatem, verum hominis parere rationi; hæc cum vetat beſtiarum more viuere; quem ad magna quæque natum eſſe animæ & corporis quibus conſtat conditio teſtatur excellentior; humanus animus eſt diuinæ auræ participatio, vitæ principium primum, mouens per ſe natura, præſtantiſſima omnium formarum, corpus humanum aliorum lux eſt corporum, mundi imago totius, motum ab animâ, elementorum vltimus conatus: è diuerſo aliorum animantium bruta & vilis eſt animula, impura, ex elementis ſuſcepta, corpus vero rude & impolitum, temperamento deteriore, ad terram conuerſum, hinc diſtincta hominis & pecoris officia ac munera.

BELLVÆ ſenſibus addictæ ſunt ſuis, homo ſimiles recuſare dominos debet, illæ voluptati conſecrandæ, hic virtuti; virtus eſt altum quiddam, regale, excelſum; voluptas demiſſum, ſeruile, abiectum, nihil eſt pecore ignauius; nihil homine ſub cœlo ſublimius, vt ambo operentur conuenienter ſuæ naturæ, pecori viuendum eſt vt edat, homini edendum vt viuat, inſita eſt à natura vnicuique animanti ſui corporis charitas, ſed non vno modo omnibus, pecori tanquam munus præcipuum, homini nequidem vt munus, longe alia ſunt hominis munia, natus eſt ad ſocietatem & vitam ciuilem deique cultum: hæc malè implet munera qui viuit ſuis addictus ſenſibus, quibus indulgere vnuſquiſque noſtrum poteſt, non ſeruire; ex ipſis nulla voluptas niſi falſa & dolori ſimillima, niſi in quantum cibus famem domat, potio ſitim; ſi quid vltra deſideratur vitiis laboratur non vſibus: tolle famem & mollior eſca nullius erit pretij, tolle ſitim & fontem limpidiſſimum ſicut cœnum deſpicies, eſto volupe ſit indulgere mero, implere ſe cibis, at infirmi ſumus ad quidquid volueris tolerandum, & qui ne continuata quidem capimur voluptate.

HILARIOR viuendi ratio continetur pace corporis & animi; vtrique malè conſulit qui nil in vita agnoſcit melius quam vt ventri faciat ſatis, primum enim ventriculus appetentiæ ſedes, humorum corruptorum copia obtunditur ita vt langueat diſſolutus, ac etiam ſi guſtus (vt qui in lingua permaneat) integer relinquatur & recte dijudicet, neque validè attrahat, neque contineat rectè: ex hac imbecillitate flatus, fluctuationes, crepitus, ructus, grauitas, diſtentio & (natnra quam vt regere queat cibos infirmiore) cruditas atque corruptio, quam conſequuntur vt plurimum faſtidium ingens, aut immoderatus appetitus, aut vitioſi cibi veluti terræ calcis exedens quaſi ſitis, nec horum tantum morborum cauſa eſt ingluuies, verum poſtquam humores ventriculo impacti computruerunr & tantam putredine acquiſierunt malignitatem vt orificium ventriculi ſuperius exquiſito præditum ſenſu laceſſere valeant & per ſuperas corporis partes tenuiſſima aura efferri, ventriculus ſua principibus partibus vitia communicat cordi ac cerebro, ac cor in ſimpathiam trahens animi defectiones parit, ſincopas, dolores, quos cardialgias vocant; cerebrum vero afficiens ſoporem inducit, veternum, morbum comitialem, cui diuites magis ſunt obnoxij; præterea membranis cerebri maligna è præcordiis expiratione compunctis dolores accidunt diuturni, imo craſſis vaporibus mixtis inquinantur animales ſpiritus, opplentur cerebri ventriculi, adeo vt facultas libero ad ſenſus aditu prohibeatur, hinc viſus imbecillitas, auditus læſio, ſenſus omnis ſtupidus, cum faciei pallore, vago intuitu, vultuſque langore perpetuos ſe adiungunt intemperantiæ comites.

VLTERIVS ſæuit malum, ſiquidem crudior chilus in iecur manans per venas meſenterij, eas obſtruit adeò vt pejor poſtmodum ſit diſtributio, hinc alui accidit fluor, quem exſiccat inedia, in iecore autem ipſo hic chilus ita benè concoqui non poteſt quin vitij retineat aliquid quod in viſcere augetur calidiore aut frigidiore, hinc illius corrumpit naturam ſanie putri, hoc autem ſchyrro labefactat, ac cum totus nequeat in iecore coërceri, pars eius excrementitia vel in tunicam fellis eructatur cuius poros obſtruens tria parit incommoda, aluus euadit pigrior, ſuffunditur bile cuticula, calculus in tunica fellis coagmentatur niger & cauſtica præditus facultate, vel fertur in lienem vbi tenuior vix fit, hinc lienem tumefacit, deinde ſic obſtruit vt ad diuerberationem aliqui veniant infœlici ſucceſſu, aliquando etiam lien concreſcit in lapidoſam duritiem non ſine magno vitæ diſcrimine, ſed ne ad id quidem periculi peruenitur niſi per alia pericula, humoris crudi copia preſſus lien partem eius in ventriculum pellit, partem in pancreas, atque meſenterium, partem, in habitum corporis; in ventriculo ſaliuationem facit immodicam, in pancreate ac meſenterio ſemina latentium & diuturnorum ferè omnium ſpargit morborum, in habitu corporis colores fœdos excitat, icterum nigrum, Rheumatiſmos Galeno non ignotos, Pariſienſibus familiares, tot noxius eſt modis ſanguis qui fit ex crudiore chilo ſi habetur eius ratio excrementorum, pars vero ad nutriendum idonea non expers eſt vitij, præ craſſitie enim hærens in via corpus fraudat genio, qua de cauſa contabeſcit, nec etiamſi nutriat ſtatim caret vitio, hinc ex nutritionis errore cachexia, tremor, oedema toto corpore, arthritis, luxatio, quæ aliqui tamen vitant intemperantes propter naturæ ſuæ bonitatem, ſed malignas febres ſenſim vergente ad corruptionem ac putredinem hoc ſanguine, ſynochos, partium inflammationes, apoplexias & alios vix effugiunt morbos ex ſimplici ſanguinis copia, quid bonæ mentis expectas ab his hominibus? hæc ita altè ſanguini immerſa eſt, vt nullas edere queat functiones, at effrænatâ ſunt concupiſcentiâ, animo tamen nullo, tanti nimirum refert, vt corpore valeas & mente quam ſobriè degas ætatem.

DISCE igitur, quod ſummæ eſt artis, eſurire inter epulas; vide quas excitant rixas diuerſorum morum eadem in vrbe populi, nil aliud in corpore præſtat nimia ciborum varietas, cum multis vteris pulmentis ne fac temerè, nullove ordine frigida calidis præmittens, dura mollibus, vnde coctio euadit pejor; caue ne æſtu animi corpus compellas ad illecebram non naturalem quo vis tempore menſam ſtruens, ex quo nouus cibus cum priorem inuenit in ventriculo ab illo corrumpitur non incorrupto, ſicut conuiuæ in domum luctus plenam irruentes turbantur ab alijs & hos turbant viciſſim; de menſa cape quantum debes non quantum cupis coquos odio habens qui variis condimentis appetentiam norunt ſemper vlterius quodam quaſi faſcino proferre quamuis defatigatam veneficis haud abſimiles mulieribus pocula miſcentibus amatoria in quibus virtus eſt nulla conciliandi amoris: magno conquiſitas pretio dapes fuge, quibus non ſine graui ſanitatis incommodo vti poteris claras quippè meretrices referendo quæ plus moleſtiæ afferunt quam delectationis: vita ſalubrior pane potiſſimum fulcitur & aquâ, his omnes habent opus, vinum ſolis ſenibus vtile præcipuè pueris nocet ac mulieribus, quotidianus carnis eſus nemini eſt commodus ſiue ad longiorem ſiue ad ſalubriorem vitam, rarus non eſt improbandus, piſces inter menſæ delicias numerandi ſunt, non cibos: caue ab omni lacticinio, ab omni fructu ſaccharato, vel mellito, ab omni ſalſo, vel acri, vel piperato cibo, inter legumina parce fabis, inter olera vel ipſis parce lactucis, inter radices parce cœpis, inter fructus parce pomis, parce quoque nucibus.

Non eſt igitur homini viuendum vt edat.

Proponebat Lutetiæ EDMONDVS CHARIER Trecenſis, A. R. S. H. M. DC. LVII.

